



# **Theologiae Moralis Super Decalogum Seu Decem Dei Praecepta Pars ...**

Tractatus I. Prooemialis De Principiis communibus Doctrinae Moralis,  
Conscientia, Actu Humano, Et Peccato In Genere

**Sporer, Patricius**

**Salisburgi, 1713**

Caput IV. De Peccati natura, Distinctione, & divisionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59488](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59488)

semper recta ratione, & secundum voluntatem Dei dirigendis in ultimum nostrum.

**FINEM  
DEUM OPT. MAX.  
AMEN.**

**CAPUT IV.**

DE

**PECCATI**

*Natura, Distinctione, & Divisionibus.*

**P**eccatum, generalissimè sumptum, est defectus voluntarius creature rationalis contra legem DEI. Sive, ut definit Valentia tom. 2. disp. 6. q. 1. Est defectus quidam voluntarius perfectionis debitæ ex lege Dei, ad consequendam beatitudinem. Dividitur in originale, & personale: & hoc in actuale & habituale. Peccatum originale definitur: *Privatio iustitiæ, & sanctitatis debita inesse singulis ex pacto facto à Deo cum Adamo.* Peccatum personale, & actuale dicitur, quod propria operantis voluntate committitur. Peccatum habituale vocatur, quod post actuale, per modum habitualis defectus, & maculæ in anima perseverat, donec remissione deleatur. Peccatum personale, & actuale tantum est considerationis  
Theo-



Theologiae Moralis, cujus nunc naturam exp  
care aggredimur.

## SECTIO I.

Peccati definitio, Ratio formalis, & Materialis

### SUMMARIUM.

1. Peccatum à S. Augustino definitur: dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam.
2. Per dictum, factum, concupitum exprimitur materiale peccati: quod est actus, vel omissio.
3. Per ly contra legem Dei aeternam exprimitur formalis peccati.
4. Omne peccatum ultimè est contra legem Dei aeternam.
5. Et consequenter etiam ultimè contra ipsum Deum, et eiusque offensa secundùm diversas rationes ad Deum.
6. Et hinc omne mortale continet averfionem à Deo.
7. Ut ultimo sine cuius & cui:
8. Et conversionem ad creaturam, ut ultimum sine cuius & cui.
9. Indeque optime (licet non formaliter & intrinsecè) intrinsecè tamen & objectivè dicitur infinita malitia. Eximitur pena aeterna: & extra Sacramentum non remittitur, nisi per amorem Dei super omnia, contritionem perfectam.

**P**eccatum est dictum, factum vel concupitum contra legem Dei aeternam. Definitio tradita à D. Augustino l. 22. contra Faustum. est: receptissima à Theologis, quam breviter & præclare explicat S. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. dicens: In qua definitione Augustinus posuit duo. Unum, quod pertinet ad substantiam actus, scilicet dictum, factum, concupitum: Aliud, quod pertinet ad rationem



tionem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dicit: contra legem Dei æternam. Hac ille. Verum latior tibi necessaria est explicatio.

§. I.

**D**ictum, factum, concupitum. Exprimitur 2 materiale peccati, quod est actus aliquis, vel omisso. Ubi adverte. I. Licet S. Augustin. directe solum exprimat materiale peccati commissionis, *dictum, factum, concupitum*; oblique tamen etiam comprehendit materiale peccati omissionis, *non dictum, non factum, non concupitum* contra legem Dei. Nam secundum Philolophum, affirmatio, & negatio reducuntur ad idem. II. Pulchrè ponit ista tria. Omne enim peccatum, aut in sola voluntate immanet, ut volitiones, intentiones, & desideria mala, & dicitur, generatim *concupitum*: aut verbo, vel signo erumpit, ut blasphemix, detractiones, mendacia, & dicitur generatim *dictum*: aut etiam ipso facto, vel opere externo patrat: & dicitur generatim *factum*: alias peccata cordis, oris, & operis. III. Absque dubio etiam S. August. intelligit *dictum, factum, concupitum* voluntarium, quod scil. ex prævia cognitione ac deliberatione intellectus ac libero voluntatis consensu fit, dicitur, concupiscitur. Nam l. 1. *Retract. c. 13.* & alibi sæpe reperit, usque adeò voluntarium esse peccatum, ut, si voluntarium non sit, nullo modo peccatum sit. IV. Sensus ergò definitionis est: *Peccatum est defectus voluntarius creature rationalis in operando.* Deficit autem creatura in operando contra legem



legem Dei, aut commissione, faciendo, quæ prohibita, aut omissione, non faciendo, quæ præcepta sunt: idque, ut confiteri solemus, *cogitatio, verbo, & opere*: vel, quod idem est: *dicto, facto, vel concupito*. Patet ergo bonitas & congruentia definitionis quoad primam partem, materiale peccati.

## §. II.

3 **C**ONTRA LEGEM Dei aternam. Expressitur formale, seu ratio formalis peccati, scilicet ipsa malitia, vel inhonestas. Quæ autem. I. Malitia moralis actûs humani, est ipsa ratio formalis constitutiva peccati, supra c. 3. n. 4. definita sit: *privatio rectitudinis secundum rectam rationem, vel legem debitam se*. II. Adeoque in actû humano malo, seu peccato duplex sit malitia & deformitas: una contra rectam rationem, ac consequenter ipsum Deum. III. Et quidem illa malitia contra rectam rationem, philosophicè loquendo sit prior & intimior actu alterâ malitiâ contra legem Dei: IV. Et super, saltem quoad operantem, malitia contra rectam rationem possit esse sine malitia peccati contra legem DEI, ut patet in eo, qui invincibiliter ignorans Deum, peccaret: nihilominus S. Augustinus optimè definiit peccatum esse *contra legem Dei aternam*: Quia defacto & simpliciter omne peccatum involvit malitiam contra legem Dei ac ipsum Deum, & hæc potior, & primitivior habetur in consideratione Theologica.



opiniē notavit S. Thomas l. c. dicens: *A Theologo consideratur peccatum precipue prout est offensa contra DEUM: à Philosopho autem naturali, prout contrariatur rationi. Et ideo Augustinus convenientius definiuit peccatum ex hoc, quod est contra legem Dei æternam, quam ex hoc, quod est contra rationem; precipue cum per legem Dei regulamur in multis, quæ excedunt rationem, sicut in his, quæ sunt de fide.* Hæc S. Doctor. Ulterius

§. III.

**C**ONTRA LEGEM DEI ÆTERNAM. Rectissime S. Augustinus solam expressit legem Dei æternam (quæ est ipsa ratio, & voluntas divina indefectibiliter ordinans honestum) prætermittens tam rectâ ratione, seu lege naturali, quam omni lege positivâ. Quia nimirum tam ratio ac lex naturalis, quam omnis lex positiva, divina, humana derivatur à lege divina æterna, tanquam radius à Sole: adeo ut verissime dicatur, omne peccatum idem esse peccatum, quia est contra legem Dei æternam. Quamvis enim etiam ideo peccatum sit, quia est contra rectam rationem, vel legem, eo ipso tamen principaliter, & ultimate est contra legem Dei æternam. Sic aperte S. Thomas *supra cit. art. 6. ad 4. Cum dicitur, quod non omne peccatum idem est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum. Si vero referatur ad jus naturale, quod continetur primò quidem in lege æterna, secundariò verò in naturali iudicatorio rationis humana, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum.* Sic S. Thomas.

THEOL. MORAL. PARS. I.

Y

dicens:



Consentit Scotus in 4. d. 50. q. 2. n. 9. inter alia  
 dicens: *Quodcunque peccatum idè est peccatum,*  
*quia est contra praeceptum Divinum.* Id ipsū  
 tium SS. Patres, qui ubique peccatum definiunt  
 contra legem Dei. Ut D. Augustinus in propo-  
 sito, & l. 2. de Consensu Evangelist. c. 4. Peccatum  
 definit: *Transgressionem Legis.* Et D. Ambrosius  
 l. de Paradiso c. 8. *quid est peccatum, nisi prava-  
 catio legis divina, & caelestium inobediencia man-  
 datorum?* Idem denique docet ipsa Sacra Scriptu-  
 ra passim. Clarissimè Apostolus Rom. 4. *Ubi  
 est lex, nec pravaricatio.* Et 1. Joan. 3. *Omni qui  
 facit peccatum, iniquitatem facit, & peccatum est  
 iniquitas.* Græcè *anomia*, id est *transgressio legi-*

## §. IV.

5 **C**ontra legem DEI aeternam. Hoc ipsū  
 omne peccatum est contra legem DEI a-  
 ternam, consequenter, & ultimè est etiam con-  
 tra ipsum Deum, eaque ratione omne peccatum  
 dicitur offensa Dei, quatenus est scilicet contra  
 legem, & voluntatem Dei super omnia nolentis  
 detestantis, ac punientis peccatum: sicque detes-  
 tos habet gradus, & respectus ad Deum offensam  
 secundum diversas rationes Dei offensa. I. Pe-  
 ccatum repugnat Deo, ut supremo Legislatore, im-  
 pliciter prohibenti ac detestanti peccata. II. Pe-  
 ccatum repugnat Deo ut supremo, & absoluto Domino  
 jure supremi in omnes dominii, exigenti à nobis  
 debitum servitium, juxta regulas voluntatis suae  
 III. Repugnat DEO, ut supremo Benefactori  
 nostro, communi Parenti, omnium bonorum



Authori, unde omne peccatum implicitam continet ingratitude erga DEum: IV. Repugnat DEo ut summo Bono nostro beatifico, atq; adeo ut ultimo fini nostro CUJUS, & CUI. Et hæc est extrema peccati malitia, seu extremus gradus offensæ DEI, ratione ejus peccatum dicitur involvere aliam duplicem malitiam, scil. *aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam.* Quâ ratione S. Augustinus l. 1. de libero Arbit. c. 16. peccatum definit: *Est conversio voluntatis indebita ad bonum commutabile, relicto incommutabili.* Juvat rem utilissimæ contemplationis tum propriæ, tum alienæ conscientia concutiendæ explicatius asserere.

ASSERTIO II.

**O**mnne peccatum mortale continet implicitam saltem aversionem à Deo ut ultimo fine cujus & cui: & conversionem ad creaturam, ut ultimum finem ejus, & cui: & hinc est, quòd dicatur malitia quodammodo infinita, & justè puniatur pena eterna &c. Communis Doctrina Theologorum. D. Thomæ 1. 2. q. 57. a. 3. Scoti in 1. d. 1. q. 5. & alibi.

§. I.

**C**ontinet aversionem à Deo & conversionem ad creaturam &c. Utrumque eleganter exprimitur Jerem 2. *Obstupescite cali super hoc, & porta ejus desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontē aque viva, & foderūt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Q. d. Averti sunt à Deo*



Deo bono incommutabili, & conversi ad creaturas, vanas, fluxas, transitorias. Id ipsum significat, voluit Salvator Matth. 6: *Nemo potest duobus Dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diligit, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis DEO servire & Mammonæ.* Q. d. Hoc ipso Deum relinquetis, & contemnetis, quò vos inordinato amore convertitis ad creaturas, puta, divitias, voluptates, &c. Sed aversio à Deo passim inculcatur in Scriptura. *2. Scito & vide, quia malum, & amurum est, quod quisse te Dominum Deum tuum.* Ibid: c. 8. *Nam quid, qui cecidit, non resurgit; & qui aversus est, non revertetur? quare ergò aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosus? Conversio ad creaturam etiam significatur, Matth. 23: *Qui amat Patrem, vel Matrem plus, quam me, non est me dignus.* Joan. 12: *Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Verum hæc etiam ratione explicemus.*

## §. II.

7 **C**ontinet aversiones à DEO, ut ultimo finis **CUJUS, & CUI.** Explico. Ultimus finis hominis **CUJUS** est beatitudo æterna: formaliter quidem est beatifica Dei visio ac fructio: objectiva verò est ipse Deus, ut summum bonum nostrum homini super omnia amandum amore concupiscentiæ, ex virtute Spæi Theologicæ; **CUJUS** consequendi gratiâ omnia operari debemus tam



quam media ad illum finem, saltem ex præscripto  
*legis* divinæ necessaria. Finis verò ultimus homi-  
 nis CUI, est idem Deus Opt. Maximus ut sum-  
 mum & infinitum bonum in se, ex virtute charita-  
 tis Theologicæ, super omnia amandum amore  
 amicitia, scil. propter se ipsum, ipsamque ejus  
 intrinsecam infinitam Bonitatem: Cui proinde  
 per Charitatem omni actione nostrâ uniri debe-  
 mus, non quidem semper positivè, omnes actiones  
 nostras in ipsum ejusque gloriam referendo, quod  
 pro hoc statu impossibile est; sed semper saltem  
 negativè, nihil unquam agendo contrarium con-  
 tra *legem* DEI, cujus observantia necessaria est ad  
 illam charitatis conjunctionem observandam:  
 Atqui palam est, omne peccatum mortale contra-  
 rium *legi Dei*, cujus observantia necessaria est ad  
 conservandam conjunctionem cum Deo per cha-  
 ritatem & gratiam, & obtinendam beatitudinem  
 (illam enim tollit, ab hac excludit, uti ex fide  
 constat) ergo omne peccatum mortale continet  
 aversionem à Deo ut ultimo fine CUIUS & CUI,  
*implicitam saltem*. Constat enim peccatum mor-  
 tale non semper continere formalem & expres-  
 sam à Deo aversionem, hoc enim est peccatoris  
 desperatissimæ malitiæ, & non posset esse in pec-  
 catore invincibiliter ignorante Deum: sed sat  
 nimium est, quòd semper contineat virtualem &  
 implicatam aversionem à Deo. Ut dum quis pec-  
 cat mortaliter ex infirmitate, vel etiam malitiâ,  
 formaliter quidem & directè non vult, sed potius  
 pollet averti à Deo: hoc ipso tamen, quò liberè  
 vult



vult peccatum mortale, quod scit repugnare Deo, convincitur virtualiter & implicite velle aversionem à DEO. Et quia etiam transeunte actu peccati nihilominus malitia peccati in anima habet, licet perseverat, donec per poenitentiam deleatur. plane sequitur, aversionem illam à Deo durare, quamdiu homo in statu peccati mortalis perseverat, ut verissime dicitur talem hominem non habere Deum pro fine suo, quæ extrema, & horribili viatori incomprehensibilis malicia & miseria. Bene meditare.

## §. III.

8 **C**ontinet conversionem ad creaturam, ut ad unum finem *CUIUS & CUI*. Explico. Unum finem *CUIUS* universim dicitur illud bonum, quod propter se tantum amatur & appetitur in operatione, & non in ordine ad aliud, quoniam omnibus aliis præfertur. Ultimus vero finis *CUI* dicitur persona vel suppositum illud, *cui* propter tantum appetitur tale bonum: Atqui omnis peccans mortaliter appetit creaturam propter se, & omnibus aliis anteponit vel eò ipsò, quia anteponit ipsi Deo summo Bono omne bonum emittit ter coptinenti: dum enim ejus legem violat, gratiam & amicitiam respuit amore creaturæ, & ipso plus amare creaturam, quam DEUM vincitur. Et sanè ipsa aversio à Deo, cum merito malum sit, per se non est appetibilis directe, sed solum indirectè propter aliud bonum appetitum Bono divino contrarium, & plus illo dilectum. Unde significantissime Apostolus *Ephes. 5. Av*



ritiam vocat *Idolorum servitutem*. Et Philip. 3. De gulosis & carnalibus dicit: *Quorum Deus venter est*. Quò spectat acutissimum illud dictum D. August. l. 83. Q. Q. 9. 30. *Omnis humana perversio est fruendis uti velle, atque utendis frui*. Quæ omnia significant peccatorem, posthabito Deo fruendo, hoc est, propter se tantum appetendo, constituere sibi ultimum finem creaturam, imò Deum vel potiùs Idolum quoddam, cum illam appetat propter se contra, atque ad eò supra Deum: cum tamen creaturâ uti tantum debeamus, non scilicet velle vel appetere propter se, sed propter Deum & in ordine ad Deum tanquam verum ultimum finem: ergo omnis peccans mortaliter, aversus à Deo convertit se ad creaturam tanquam ultimū finem *CUJUS & CUI*. Ultimus finis *CUJUS* semper est aliqua voluptas peccandi. Heu, quàm momentaneum, quod delectat. Ultimus finis *CUI*, ordinariè est ipse homo peccans, qui sibi ipsi, ex improbo amore sui, inordinatè appetit frui illicitâ voluptate creaturæ contra legem Dei: ut patet in omnibus peccatis, maxime luxuriâ, & avaritiâ. Unde amor sui verissimè dicitur peccatum capitale generalissimum, fons, origo, radix, omnium omninò peccatorum. Quò sensu pulcherrimè S. August. l. 14. *De Civitate Dei*. c. 28. dixit. Quod duas civitates fecerunt duo amores. *Civitatem Diaboli amor sui usque ad contemptum Dei: Civitatem Dei amor Dei usque ad contemptum sui*. DIXI. ordinariè. Contingit enim aliquando, ut homo peccans seipsum,



sum, vitam, animam, omnia referat aut referat  
paratus sit ad creaturam aliam. v. g. concupiscentiam  
Venerem, divitias, liberorum exaltationem,  
etiam ipsum Diabolum more sagarum &c. in  
nem CUI. Hi nimirum, ne tantum peccent, etiam  
insaniunt.

## §. IV.

9 **E**T hinc &c. Ex dictis hactenus intelligi  
conare. I. Quamvis nullum peccatum mor-  
tale quantumvis grave, formaliter, intrinsece,  
simpliciter sit malitiæ infinitæ, ut bene probat  
Scotus supra citatus. Non enim potest esse maliti-  
æ infinitæ secundum suum materiale, sic enim  
est actus hominis utique finitus, vel omni-  
neque secundum suum formale; sic enim est pro-  
vatio rectitudinis vel perfectionis debite in  
actu vel potentia, utique etiam finitæ ac limita-  
tæ: nihilominus II. Omne peccatum mortale  
ratione offensæ Dei, recte dicitur malitiæ  
dammodo infinitæ. *Sec Theologi communiter  
S. Thom. 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. Scoto in 3. d. 20. q. 1. ad 1.*  
Ratio est. Quia eo gravius est malum, quo  
majori bono opponitur & privat: & eo major est  
offensa, quò major est dignitas personæ offensa.  
atque omni peccato mortali offenditur Deus in-  
nitæ majestatis: & omne peccatum mortale est  
aversio à Deo, & privat Deo summo, & infinito  
Bono: ergo omne peccatum mortale, in ratione  
offensæ Dei vel aversionis à Deo, recte dicitur  
malitiæ infinitæ *quo dammodo*: Nim. non intrinsece  
sece & formaliter, comparando malitiam ad rectitudi-



itudinem oppositam: sed extrinsecè & objective comparando malitiam ad DEum absolute ut terminum offensæ, & aversionis. III. Peccatum mortale etiam unicum justè punitur poenâ æternâ. Certum de fide. Sicut enim convertens te in operando ad summum bonum super omnia dilectum, ex acceptatione divina jure mereris præmium æternum: ita sapè peccato mortali avertens te à DEO summo & infinito Bono, & convertens ad bonum creatum vilissimum contra DEI legem, atque adeò supra DEum dilectum, non sine gravissimo, licèt implicito, Boni infiniti contemptu, ex justissima indignatione divina jure mereris poenam æternam: ut æternum manens aversus à DEO, æternum miser sis in creatura. IV. Peccatum mortale commissum, extra Sacramentum, non remittitur per ullum actum, nisi amoris DEI super omnia, aut contritionis perfectæ. Ratio est. Quia oppositâ viâ & ratione ad DEum revertendum est, quâ ab eo aversi sumus: Sed peccator peccato mortali avertitur à DEO summo Bono plus amando & præferendo illi bonum creatum: ad DEum ergo ejusque gratiam reverti debet de novo amplectendo & amando DEum ut summum bonum super omnia appreciativo, præferendoque omnibus bonis creatis etiam sibi ipsi. Quod explicitè fit in actu amoris DEI super omnia, & saltem implicitè fieri debet in actu contritionis perfectæ, quâ dolemus & detestamur peccatum commissum super omne detestabile. quatenus est offensa DEI summi Boni, nunc super omnia dilecti. Denique



sermo semper fuit de peccato mortali. Peccatum enim veniale, quia non tollit conjunctionem amicitiam cum DEO per gratiam & charitatem, sed solum quodammodo minuit, simpliciter avertit hominem à DEO ultimo fine, nec tollit creaturam, quæ est materia peccati venialis, ultimum finem simpliciter: non enim illud creatum præfert DEO, sed solum non est in DEUM, de quo plura c. seq.

## SECTIO II.

*Peccatorum Unitas, & Distinctio Specifica*

### SUMMARIUM.

10. Exponitur status questionis,
11. Peccatorum unitas & distinctio specifica committitur ab objectis formalibus.
12. Formaliter verò, & quoad ipsam malitiam ab uno & distinctio specifica rectitudinum, seu virtutum oppositarum;
13. Ac etiam preceptorum formaliter & specie.
14. Non materialiter, & numero tantum diversorum.

**IO** **Q**uestio est de peccatis commissionis & omissionis. Nam peccatum omissionis, quatenus dicit privationem actus debiti, specificatur, & sumit suam unitatem & distinctionem specificam, patenter ab ipsis actibus omittis, ut nimirum peccata omissionis sint ejusdem speciei, quatenus omittuntur actus debiti ejusdem speciei, ut peccata omissionis Sacri, vel Horarum &c. Illa verò peccata omissionis sint diversæ speciei, quibus committuntur actus debiti diversæ speciei: ut omissionis contra virtutem Religionis, & omissionis contra



molynæ in necessitate proximi, contra virtutem  
misericordiæ: omissio restitutionis contra virtu-  
tem iustitiæ &c.

### ASSERTIO III.

**P**eccatorum unitas & distinctio specifica, cau-  
saliter, quoad actum peccaminosum sumitur  
ab objectis formalibus, formaliter verò quoad ip-  
sam malitiam desumitur ab unitate & distinctio-  
ne specifica rectitudinem, seu virtutum opposita-  
rum: etiam preceptorum formaliter & specie, non  
item materialiter & numero tantum diversorum.  
Sic Doctores citandi.

S. I.

**C**ausaliter, quoad actum peccaminosum sumi-  
tur ab objectis formalibus. Communis do-  
ctrina cum S. Thoma 1. 2. q. 72, a. 1. Ratio patet.  
Quia notissimum est in Philosophia, actus quos-  
cunque extrinsecè & causaliter specificari ab ob-  
jectis: atqui actus peccaminosus per se directè  
tendit in ipsa objecta vetita, & non nisi per acci-  
dens & indirectè in ipsam malitiam seu deformati-  
tatem contra rectam rationem, vel legem: Quia  
nemo intendens ad malum operatur: D. Dionys.  
de Divin. Nomin. cap. 4. Uti optimè observat S.  
Thomas modò citatus: ergo unitas & distinctio  
specifica peccatorum causaliter desumitur ab ob-  
jectis (sive se solis, sive ex fine & circumstantiis  
constitutis) formalibus tamen, quatenus nim.  
fundant malitias seu deformitates ejusdem vel di-  
versæ rationis contra rectam rationem, legem, seu,  
quod



quod idem est, contra virtutem vel præceptum. Illa ergo peccata omnia sunt ejusdem speciei, et habent objecta formalia ejusdem speciei, scilicet malitiam vel deformitatem ejusdem rationis: sic ejusdem speciei sunt superbia de bonis spiritualibus & temporalibus; gula in cibo & potu cujusvis generis, furtum in quavis materia, enim ipsi actus, & objecta materialiter sunt diversæ speciei, formaliter tamen fundant malitiam ejusdem rationis: utpote inordinatam excessivam, excessum Temperantiæ, violationem Justitiæ &c. Econtra illa peccata omnia distinguuntur specie, quæ habent objecta formalia diversæ rationis, fundantia scilicet diversas malitias vel deformitates contra rectam rationem, vel leges diversas, ut patet in fornicatione, adulterio, incestu, sacrilegio, & aliis innumeris. Neque de his est aliqua difficultas, vel controversia.

## §. II.

21 **F**ormaliter verò, quoad ipsam malitiam dicitur distingui ab unitate & distinctione specificarum virtutum seu virtutum oppositarum. Sic Scotus in 4. 37. q. 1. cum suis & aliis. Nec dissentit S. Thomas in 4. præc. alleg. Ratio est. Quia peccatum formaliter, seu malitia moralis, ratio formalis constitutiva peccati consistit in privatione rectitudinis habitæ inesse secundum rectam rationem, vel legem, quæ rectitudo in particulari re ipsa nihil aliud est quam honestas virtutis alicujus in particulari. Unde peccatum, seu malum morale formaliter est privatio boni honesti, seu virtutis, teste D. Domy



De Divin. Nominib. c. 4. atqui notum est, privationes specificari & distingui per formas oppositas, quibus privant: ergo unitas & distinctio specifica peccatorum formaliter desumitur ab unitate & distinctione specifica rectitudinum, seu virtutum oppositarum; adeo ut omnia illa peccata sint ejusdem speciei, quæ eidem virtuti, & secundum eandem deformitatis rationem adversantur: contra verò illa peccata sint diversæ speciei, quæ diversis virtutibus, aut etiam eidem virtuti, attamen secundum diversam rationem deformitatis adversantur. Sic odium Dei & proximi, blasphemia, furto &c. sunt diversæ speciei, quia repugnant diversæ speciei virtutibus, Charitati, Religioni, Justitiæ, &c. in quo nulla difficultas. Porro etiam eidem virtuti, quamvis unam tantum habeat integram conformitatem ad rectam rationem, quia *bonum est ex integra causa*; tamen adversari possunt diversa specie peccata & vitia per diversas deformitates vel defectus: quia *malum est ex quolibet defectu*. Sic I. Eidem virtuti Charitatis v. g. opponuntur diversa specie peccata per commissionem *odisse Deum vel proximum*; & omissionem, *quando oportet, non amare, non succurrere*. II. Eidem virtuti Religionis, penes diversos modos inhonorandi Deum; puta directe in se, indirecte in rebus vel actibus ipsi sacris &c. opponuntur diversissima specie peccata irreligiositatis, blasphemia, perjuria, superstitiones, sacrilegia, violationes votorum, festorum, &c. III. Eidem virtuti Justitiæ, penes diversos modos lædendi jus alterius in bo-



nis vitæ, famæ, fortunæ &c. opponuntur diversis  
 fima specie peccata iniustitiæ, homicidia, adul-  
 teria, detractiones, furtiva, &c. IV. Eidem virtuti  
 morali in mediocritate consistenti semper op-  
 nitur duplex peccatum, per excessum, & per  
 defectum. Ut liberalitati nimia profusio, seu pro-  
 galitas: & nimia tenacitas, seu avaritia: sic de  
 ceteris. Denique dantur peccata, quæ nulli virtuti  
 in specie opponuntur, sed solum ipsi virtuti, in  
 necessitati, vel rectitudini in communi, ut voluntas  
 universim malè vivendi, nihil boni agendi, præ-  
 cepta servandi, quodvis peccatum peccatum  
 &c.

## §. III.

13 **D**esumitur ab unitate & distinctione  
 præceptorum formaliter & specie diver-  
 rum. Communis apud Vasquez disp. 98. Sanchez  
 l. 9. de Matrim. disp. 15. Layman. l. 3. c. 2. Peccatum  
 iterum est. Quia peccatum formaliter consistit  
 in privatione rectitudinis debitæ inesse secundum  
 rectam rationem vel legem: ergo unitas & distinctio  
 actus specifica peccatorum rectè etiam desumitur  
 ab unitate & distinctione formali ac specifica  
 præceptorum seu præceptorum: adeò ut illa peccata  
 specie diversa, quæ repugnant præceptis formaliter  
 & specie diversis, prohibentibus scilicet  
 peccata sub diverso motivo distinctarum virtutum.  
 Sic homicidium, & furtum prohibentur lege  
 naturali, divinâ, & humanâ sub motivo virtutis  
 iustitiæ; at verò homicidium Clerici, furtum rei  
 specialiter & gravissimè prohibetur lege Eccl.



ffica formaliter & specie diversâ, scilicet sub motivo alterius diversæ virtutis Religionis, propter specialem injuriam ac irreverentiam personæ, ut rei Deo sacræ in ipsum Deum redundantem, ideoque formaliter & specie duo distincta peccata sunt etiam in eodem actu. Simili ratione adulterium commissum a Religioso triplicem speciem peccati continet. Verùm hæc specificatio peccatorum à præceptis positivis desumpta solum à posteriori est in iis peccatis, quæ intrinsecè & ex objecto mala sunt: ut fornicatio, furtum, homicidium &c. Non enim ideò mala, quia prohibita, sed potius ideò prohibita sunt, quia mala, nihilominus tamen eo ipso etiam mala, quòd sic prohibita sint: à priori autem est illa specificatio in iis peccatis, quæ solum extrinsecè ex prohibitione legis mala sunt: sic comedere carnes die Sabbathi, & laborare die Dominico distinguuntur specie à priori per diversa specie præcepta Ecclesiæ prohibentia illos actus sub motivo diversarum virtutum, scilicet Temperantiæ, & Religionis.

§. IV.

**N**on item materialiter, & numero tantum. 14  
Præcepta namque solum materialiter, & numero distincta, quæ scilicet de eadem re formaliter ac sub ejusdem virtutis motivo, solum ponuntur à diversis Legislatoribus, vel diverso tempore, nihil omninò faciunt ad distinctionem peccatorum. sive specificam, sive numericam: adeò ut peccata commissa contra talia plura præcepta semper sint ejusdem speciei, secundum omnes: & insuper, si  
actus



actus idem sit, etiam idem numero peccatum. Si  
furtum simplex prohibetur lege divinâ ac huma-  
nâ, Ecclesiasticâ, Politicâ multipliciter, semper  
tamen ejusdem speciei, ac in eodem actu, idem  
numero peccatum est; quia leges omnes sunt e-  
dem speciei, ac sub eodem motivo ejusdem  
tutis Justitiæ furtum prohibent. Similiter in blas-  
phemia jam jure divino prohibitißima, etiam pro-  
hibeatur lege Ecclesiasticâ sub pœna excommuni-  
cationis v. g. manebit idem specie & numero pec-  
catum mortale. Non enim aliâ ratione & motivo  
prohiberetur ab Ecclesia, quam prohibita est  
divinâ, scilicet sub motivo Religionis, propter  
gravissimam irreverentiam divinæ Majestatis: ut  
bene notat *Laym. sup.* Simili ratione, qui negligit  
Sacrum die festo incidente in Dominicam: qui  
violat jejünium in die, quo concurrunt Vigilia cum  
feris quatuor Temporum, vel Quadragesimæ  
qui omittit Officium divinum, ad quod tenetur  
ratione sacri Ordinis simul ac Beneficii, imò etiam  
præcepto Regulæ &c semper unum tantum pec-  
catum committit, etsi contra distincta præcepta  
sed materialiter tantum. Item, qui semel in anno  
non fecit confessionem invalidam, peccat contra  
præceptum divinum de integritate Confessionis  
& contra præceptum Ecclesiasticum de annuali  
Confessione, unum tamen peccatum committit.  
Quinimò, qui sumit Eucharistiam in peccato mor-  
tali, peccat quidem contra duo præcepta, scilicet  
Pœnitentiæ obligantis tempore Communio-  
nis, & Religionis obligantis ad dignam susceptio-



nem tanti Sacramenti: quia tamen prius ordinatur ad posterius, unum tantum peccatum committit: ut cum aliis docet *Diana part. 2. Tract. 4. resol. 35. Et p. 2. Tract. 14. resol. 24.* Ratio omnium est. Quia in his omnibus, & similibus casibus, illa plura præcepta aut sunt ejusdem speciei, & sub motivo ejusdem virtutis imposita, aut certe invicem subordinata: ideoque peccata opposita non possunt esse diversæ speciei, ut omnes consentiunt: Et licet illa præcepta sint distincta numero, ideoque in uno actu contrario formaliter sint distincti respectu difformitatis ad illa distincta præcepta, physicè loquendo; moraliter tamen condescunt in unum numero peccatum. Uti contra *Navar. Lopez, & alios jam tenet communis Doctorum sententia apud Layman. cit. v. 2.*

### SECTIO III.

*Peccatorum Unitas, & distinctio numerica.*

#### SUMMARIUM.

15. Unitas & distinctio peccatorum numerica generatim desumitur ab unitate & distinctio numerica ipsius actus.
16. In peccatis quidem merè internis physicè,
17. In externis verò morali tantum
18. Hoc est; secundum moralem tantum conjunctionem, vel disparationem actuum externorum. Sed magis ad præxin.
19. Moraliter & in ordine ad Confessionem semper idem numero peccatum censetur. I. Quando intento & durante eodem actu externo circa idem objectum, solum internus sæpius physicè, non verò moraliter formaliter, vel interpretativè interrumpitur.



20. II. Quando vicissim durante actu interno physico moraliter eodem, multiplicantur solum externi eandem peccati consummationem spectantes.
21. III. Quando plures tum in : quam externi concurrens ex natura sua ad eundem actum principalem tum ordinantur ac
22. IV. Quando delinquitur circa actiones ex natura institutione sua integratas ex pluribus actibus junctis.

## ASSERTIO IV.

**P**eccatorum unitas & distinctio numerica desumitur ab unitate & distinctione numeri ipsius actus: in merè internis quidem Physicis externis verò peccatis morali tantum, hoc est secundum moralem tantum continuationem vel interruptionem actus interni; & conjunctionem vel disparationem actuum exteriorum. Complanis doctrina, uti docebit solita explicatio.

## §. I.

- 15 **D**esumitur ab unitate & distinctione numerica ipsius actus. Ita nimirum, ut idem numero actus constituat idem numero peccatum plures numero actus plura peccata; in quibus minimis consentiunt omnes. Certum quoque est manere plura numero distincta peccata, etiam si objectum sit idem: ut si eundem hominem in odio habeas, percutias, aliave injuria affeceris. Controversia speculativa tantum est, an manifestetur idem numero peccatum, quando idem actus dividit in plura objecta: sive an multiplicatio objectorum in eodem actu multiplicet numero peccatorum: Quoad praxin omnino perinde est, sive



cas, uno actu odisse decem homines, esse decem peccata formaliter, & ideo enumeranda in Confessione: sic Azorius, Vasquez, Bonacina, alii cum Diana p. I. tr. 7. resolur. 29. sive dicas, esse unum numero peccatum, sed æquivalens decem, & ideo numerum objectorum, tanquam augmentem malitiam substantialem actûs necessariò explicandum in sacro Tribunali: sic Suar. Filliol. alii cum Laymanl. 1. Tr. 3. c. 3. n. 2. Etiam perinde est, sive objecta multiplicentur materialiter tantum, ut si uno omninò actu plures homines odio habeas, occidas, infames, aliavè injuriâ afficias: si uno proposito velis omittere Officium per mensem, jejunium per Quadragesimam &c. sive objecta multiplicentur formaliter, nimirum sub distinctis actibus externis intenta ab uno actu interno: Ut si voluntas uno quidem actu interno intendat ac proponat, attamen per plures actus externos tendere in plura objecta v. g. occidere plures, sed distinctis vicibus & occasionibus: cognoscere plures, modò hanc, postea aliam &c. Quòd si tamen peccata externa consummentur, sine controversia illa erunt distincta numero peccata, nihil obstante unitate actûs interni.

§. II.

**N** merè internis quidem physicâ. Hoc est. Pec-16  
cata merè interna, quæ scilicet solâ malâ voluntate consummantur, sumunt unitatem & distinctionem suam numericam à physica unitate & distinctione ipsius actûs, ut tot sint numerò peccata; quoties physicè, voluntariè tamen, in-



terrumpuntur actus. *Omnes.* Ratio est. Quia peccatum toties multiplicatur numero, quoties perfectè consummatur: sed peccata merè interna toties perfectè consummantur, quoties interruptè voluntariè repetuntur: ut actus odii, blasphemie, hæresis, invidiæ &c. Item actus interni simplices & inefficaces, velleitates, consensus, complacitiæ, delectationes morosæ, circa actus externos & eorum objecta &c. quoties repetuntur, & renouantur, ita ut posterior à priori nullo modo dependeat, toties perfectè consummantur & consequenter tot sient peccata numero distincta, nisi notabilis temporis mora non intercedat. Ut inde fieri possit, hominem uno die, vel unâ nocte committere mille peccata ejusmodi interna odii, invidiæ, delectationis morosæ, &c. Advertunt tamen Doctores, plerumque impossibile esse hæc modi internorum peccatorum numerum recensere nec consequenter explicari posse in confessione secundum omnes: ergo sufficit explicare modum temporis, quâ quis in tali mala voluntate persistit: v. g. *integro anno in odio & inimicitia contra proximum persisti: sepius, cum memoria inimici recurreret, actus odii, rancoris, invidiæ renovavi.* Sic de cæteris. Imò hoc univèrsale verum est, quando quis continuâ voluntate, longo tempore persistit in quibuscunque peccatis internis, vel externis, ita roties frequentatis, eorum numerum inire nequeat. Sufficit enim dicere in Confessione: *tanto tempore in eorum voluntate & proposito talis peccati persisti: extera*



entis, quoties potui, vel occasio fuit, singulis etiam diebus, vel horis &c. Sic communis meretrix satisfacit dicendo: Tot annos in statu meretricio permansi, quoties occasio fuit, quibusvis etiam conjugatis, sacris, &c. corporis copiam feci. Nam species peccatorum, quantum potest, debere exprimere, rectè monet *Diana p. 3. Tract. 4. resol. 89.*

§. III.

**I**n externis verò peccatis morali tantum. Hoc est: Peccata, quæ, posito actu interno, opere externo consummantur, sumunt unitatem & distinctionem numericam ab unitate & distinctione morali tantum actuum tam interiorum, quam exteriorum. Et imprimis: secundum moralem tantum continuationem, vel interruptionem actus interni. Actus internus tamdiu censetur idem numero continuari, vel durare moraliter, quamdiu non est revocatus formaliter vel interpretativè. I. Formaliter revocatur actus internus per actum contrariū, quando nimirum voluntas actui prioris malo alium actum contrarium, aut nolitionis efficacis, aut saltem simplicis displicentiæ, vel aversionis elicit. II. Interpretativè revocatur actus per ejus cessationem voluntariam: quando nimirum voluntas se reflectens super priorem actum, vel propositum malum, aut negativè se avertit aut ad alium actum impossibilem se divertit. Ut si proposuisses hodie exire ad fornicandum, occidendum &c. & memor hujus propositi, domi manere, aliud agere, vel cubitum te conferre velles: jam interpretativè censeberis revocasse actum



priorem, etsi actualiter non revocâris. III. Adhuc aliqui Recentiores apud Bassæum. V. Peccatum, 6. etiam per cessationem involuntariam, quando nimirum intercedente naturali inadvententiâ, oblivione, distractione ad alia, somno, ebrietate, vel simili dispositione, in qua, cessante usu rationis actus voluntatis liber non videtur posse continuari, aliquis prioris propositi mentis illud approbat, & renovat. | Verum hæc sententia non placet quoad actus internos efficaciter tendentes in externos: eò ipsò enim, quò ammittitur ita involuntariè distractus cessat, moraliter, & interpretativè manet eadem voluntas, quippe voluntariè nunquam revocata vel abrupta: veritas tamen est, quoad actus merè internos, juxta dictum. *præced.*

## §. IV.

18 **E**T secundum moralem tantum conjunctionem vel disparationem actuum externorum. Quod liter autem actus seu interni, seu externi physice multiplicati morali conjunctione vel disparatione constituent unum, vel plura numero peccata, pro re difficili, & maxime morali: entibi, quantum distinctas, & casibus exemplificatas Regulas.

## REGULA I.

19 **I**dem numero peccatum censetur, quando interrupto, & durante eodem actu externo circa idem objectum solus actus internus sapiens, imò mille interruptus repetitur: nisi quando formaliter vel interpretativè revocatus, postea de novo assumitur.



Communis. Navar. c. 6. n. 16. Vasquez *disp.* 75.  
c. 2. Layman. *cit.* c. 3. n. 4. Ratio est. Quia licet  
singuli actus interni circa objectum malum per  
se peccata sint, quamdiu tamen formaliter vel in-  
terpretativè non revocantur, censentur moraliter  
per modum unius continuari & uniri in uno in-  
tento opere externo consummando. E. gr. Titius  
succumbit tentationi carnis, consentit, efficaciter  
proponit, pergit &c. Interim dum fervet opus,  
hanc suam malam voluntatem millies repetit,  
nunquam tamen revocat formaliter, vel interpre-  
tativè, sed ita constitutus manet, ut quotiescunque  
se reflectat super suum actum, semper consentiat,  
approbet; complaceat &c. semper censetur idem  
numero peccatum: quia omnes motus & actus  
sequentes univertur moraliter cum primo actu in  
ordine ad eandem primò intentam consummatio-  
nem externam. Similiter voluntaria retentio  
rei alienæ per annum, vel annos plurimos, tamen si  
voluntas retinendi, vel non restituendi infinities  
interrupta repetatur, semper tamen idem nume-  
ro peccatum, mortale manet, nisi quando vo-  
luntas non restituendi revocata de novo assume-  
retur. Simili modo discurrendum in quovis alio  
peccato externo. Contra verò quoties prior actus  
internus peccandi formaliter vel interpretativè  
revocatus, modo explicato n. 17. toties censetur  
actus interruptus moraliter, & tot distincta nume-  
ro peccata. Et quidem per se loquendo numerus  
ejusmodi actuum esset explicandus in Confessio-  
ne; sed quia hoc plerumque moraliter est impossi-  
bile,



bile, ideò ordinariè sufficiet exprimere moram  
temporis. v. g. *Integro mense persiti in prope  
& voluntate fornicandi, occidendi, furandi  
restituendi, quod sapius renovavi, antequam  
summarem &c. Vasq. Layman sup.* Unde  
posse aliquem integro mense, vel anno committi  
re unum tantum peccatum moraliter non inte-  
ruptum: è contra verò unâ horâ committere  
multa peccata moraliter interrupta &c.

## REGULA II.

20 **I**dem numero peccatum moraliter censetur  
quando durante uno, eodémque actu interno  
consummandi peccatum externum multiplicatur  
solus actus externus spectans ad eandem consum-  
mationem peccati. Communis. Ratio est. Quia  
unitas, idémque impetus actus interni ad con-  
summandum peccatum externum aliquod, in  
genere moris tribuit etiam moralem unitatem  
distinctis actibus externis habentibus se per  
partes ad unam totalem consummationem.  
Exempla obvia. Qui eodem actu interno,  
eodémque commotionis impetu, alterum lapide  
verberat, unum tantum peccatum committit,  
quamvis eò semper gravius, quò sapius: ut si  
Clericum percussit, semel tantum est excommu-  
nicatus, uti ex jure bene probat *Navarrus c. 6. n. 17.*  
Item qui eodem motu & impetu sapius  
blasphemat, sapius pejerat, sapius homini male-  
dicit, eandem calumniam sapius exprobrat, in ea-  
dem materia sapius detrahit &c. unum tantum  
peccatum



peccatum committit saltem in ordine ad Confessionem Sacramentalem, ut sufficiat dicere: semel blasphemavi, pejeravi, maledixi, detraxi &c. Nam illa repetitio fit, & impetu unius actus interni, & uno continuo quasi actu externo, ideoque non nisi pro uno peccato reputanda, ut ex communi notant, *Navarr. Layman. cit. e. Diana p. 1. Tract. 7. Rosol. 51.* Secus dicendum, quando quis per intervalla, etsi vi prioris impetus iterato accessit ad percutiendum, blasphemandum, pejerandum, &c. aut eodem licet continuo impetu, vel plures homines injuriâ affecit, aut eidem homini diversæ rationis injurias intulit: v. g. appellando furem, adulterum, magum, &c. Tunc enim multiplicantur peccata externa, maximè in ordine ad Confessionem, ut latius videre potes *p. 3. Theol. Sacr. e. 3. à n. 432.* Universaliter ergo, quoties uno actus interni vel commotionis impetu committuntur plura peccata externa omninò disparata, quæ scilicet minimè ordinantur ad unam consummationem externam, sed per se integræ consummationes sunt, ut si quis uno iræ impetu plures occidat; si totâ nocte versans cum amasia, eodem voluntatis proposito continuato, peccandi toties, quoties poterit, actu sæpiùs peccet &c. si sine dubio tot distincta peccata mortalia committit, & in Confessione explicare debet: quia omnes isti actus externi fuerunt mali & voluntarii consummati, nec refert, an distinctis, vel uno actu voluntatis: Ut proinde in casu posito minime sufficiat ( ut ineptè vult quidam Recentior )

Z 5

dicere :



dicere: *Fui per noctem cum amasia, & feci, quatuordecim peccata.* Quod recte refutat *Diana p. 3. Tract. 4. res. 67.* Sed quid, si quis tota nocte versans cum amasia semel tantum peccatum consummet, & reliquum totum tempus aliis turpitudinibus consumpsit? Quamvis videatur esse moraliter tantum numero peccatum, propter eundem interruptum actum malum voluntatis: putamen, id explicandum esse in Confessione tanquam quid augens malitiam substantialem actus: cum impossibile videatur, totius noctis turpitudines sub uno actu fornicationis uniri: ut proinde non sufficiat dicere: *fornicatus sum semel.* Quamvis oppositum opinetur cum aliis *Diana p. 3. Tract. 4. res. 67.*

### REGULA TERTIA.

21 **I**dem numero peccatum moraliter censetur quando plures, vel plurimi actus tam interni quam externi concurrentes, naturâ suâ ad eundem actum principalem ordinantur, & sub eodem intento, vel sine principali uniantur. Omnes Respondeo est. Quia licet singuli actus secundum se simpliciter sint mali ex objecto, vel saltem ex illo uno malobene intento, ad quem ordinantur, quatenus tantum omnes illi, tanquam media partialia, vel imperfecta spectant, & ordinantur ad unum finem, unumque opus principale perfecte continentium, censentur moraliter integrare unum tantum malum & peccatum. Exempla obvia. I. Qui furatur integram Bibliothecam, vel suppellectilem



g. per totam noctem, sapissimè renovatis actibus internis, & iteratis ablationibus, etiam singulis ad mortale sufficientibus, unum tantum numero factum committit; quia omnes isti actus uniuntur sub uno intento principali, scilicet auferendi totam talem quantitatem. Unde in Confessione sufficit dicere: *Furatus sum Bibliothecam, vel suppellectilem tanti valoris*; tacitâ iteratione actuum. *Navarrus c. 16. n. 18. Bonacin. t. 2. disp. 2. q. 4. prop. 2. II.* Titius efficaciter volens occidere Cajum inimicum suum: imprimis plurimos exercet actus internos odii, iræ, vindictæ, inquisitiones occasionum, electiones mediorum &c. eosque sapissimè repetit actus, plurimos quodque exercet actus externos: pluribus diebus insidias struit, praetolatur, arma expedit, socios convocat, equum ascendit, proficiscitur, deprehensum inimicum verbis infestat, provocat, iteratò ferit, tandem occidit, etiam mortuo jam ictus infligit, &c. Similiter volens peccare carnaliter usque ad consummationem, phui! quot distinctissimos actus internos exercet, & agit? quot etiam actus externos, verba impudica, sollicitationes, tactus, &c. fordidum cogitare: Utrobique tamen omnes illi actus distinctissimi interni & externi, unâ cum ipso actu principali, homicidio, fornicatione &c. unum tantum numero peccatum constituunt; ut sufficiat confiteri actum principalem: *commissi homicidium voluntarium semel: fornicatus sum semel.* Nullâ factâ mentione actuum præcedentium vel concomitantium, qui faciliè à Confessario in-

velli-



telliguntur. Quia nimirum omnes actus illiciti interni, quàm externi, quantumvis physice distincti, naturâ suâ ad actum principalem homicidii vel fornicationis ordinantur, & sub illo, vel ut sine principali uniuntur. III. Secus dicendum est si actus accedant ad illum actum principalem naturâ suâ non ordinati, vel aliâ diversâ malitiam continentibus. Ut si occidas adhibito veneno, maleficiô: si velis occidere, sed prius egregie cruciare, vel torquere: si ad finem fornicationis continentis usus es philtis, vel mediis magicis: si teâ solùm habuisti delectationes morosas, aut, efficaces concupiscentias ad fœminam: si excuisti oscula, tactus, amplexus impudicos intentione copulæ, & postea primò novo actu efficaci copula secuta est, &c. Tunc enim actus præui interni, vel externi manent peccata seorsim, specie vel numero distincta, ideoque seorsim confitenda, nisi ignorontia, vel inadvertentia excuset. IV. Etiam si actus illi præui ad actum principalem homicidii, vel fornicationis ordinati sint, tamen, quacunque de causa non sequatur actus ipse homicidii vel fornicationis, manebunt illa peccata seorsim dissoluta, ac seorsim confitenda secundum Omnes. Quia tunc non uniuntur sine principali intento.

Hanc Regulam Doctores communiter, *Ne var. c. 6. n. 17. Azor. tom. 1. l. 4. c. 4. 9. 6. Laym. l. 1. Tr. 2. c. 9. n. 8.* extendunt ad actus malis ipsum actum principalem concomitantes, vel immediate subsequentes tanquam accessoria vel



complemenra: ut est gaudium vel complacentia de actu consummato, colloquia, oscula, tactus &c. sequentes actum venereum absque intentione vel ordine ad novam copulam: adhuc nimirum constituere unum numero peccatum cum actu principali, ideoque seorsim non debere narrari in Confessione, cum difficulter, & vix decenter explicari à Pœnitente, minùs à Confessario inquiri possint, ut notat *Layman. l.c.*

### REGULA QUARTA.

**I**dem numero peccatum censetur, quod committitur circa actiones ex natura, vel institutione sua integratas ex pluribus actibus conjunctis. E.g. Celebrans in peccato mortali, etsi celebratio Missæ plures contineat actiones Sacramentales, utpote Consecrationem, Sumptionem, & Communicationem aliorum, non tamen tria, sed unum tantum peccatum mortale committit: quia omnes isti actus integrant unum numero ministerium celebrationis Missæ; ut proinde sufficiat confiteri: *celebravi in statu peccati mortalis semel.* Idem omninò dicendum de Sacerdote, qui unà vice, & intentione notabiliter non interruptâ, se exponit excipiendis Confessionibus, aut distribuendo Sacramento Eucharistiæ, existens in peccato mortali (quidquid intolerabiliter alii dicant) quotcunque absolvat, quotcunque sacras Hostias distribuat, unum tantum peccatum mortale committit: quia nimirum omnes illæ absolutiones, aut distributiones ut modò actu continuo succes-

fivo



sivo fiunt, ad unum moraliter pertinent ministerium absolvendi vel communicandi. Hoc est ministerium ex natura sua non determinatum ad certas personas vel Hostias, quin potius potest per modum sacri Tribunalis communis, ut omnibus ad tribunal accedentibus jus dicatur: omnibus ad mensam sacram accumbentibus sacrum factum apponatur: ac proinde in Confessione faciet dicere: *Ministravi Sacramentum poenitentiae aut Eucharistiam* (positâ sententiâ etiam hoc peccatum mortale) *in statu peccati mortalis semel*. Aliud dicitur, si Sacerdos in mortali existens sepius delictis, & moraliter interruptis vicibus se praeparat ad absolvendum, vel communicandum. Tunc enim, sicut in peccato mortali censetur mortaliter multiplicare Ministeria sacra, ita sanè & multiplicabit peccata: quâ ratione etiam is, qui in Natali Domini omnes tres Missas celebrat in peccato mortali, ter peccaret mortaliter, tria distinctissima sunt Ministeria, ad invicem per se ordinata unius minimè ordinata. Vide *Dianam* Tr. 7. ref. 41. & 43. Sed de his omnibus latius de p. 3. *Theol. mea Sacram. cap. 3. quæst. 5. art. 26. per totum.*

## SECTIO IV.

*Peccatorum Divisiones variae indicantur*

### SUMMARIUM.

23. Peccatum personale & actuale varie dividitur.
24. Explicatur peccatum commissionis, & omissionis.
25. Peccatum pure omissionis physice quidem possibile est.
26. Moraliter tamen ordinariè fit cum actu positivo.



Voluntate omittendi, vel alio, qui omissionis causa fore  
prævidetur.

17 Quos solos, & sua tantum malitia insuit omisso;

18 Non item alios merè concomitantes, nisi & ipsi ex ob-  
jecto, vel aliunde sint mali.

**P**eccatum personale & actuale ulterius dividi. 23

**Tur.** I. Penes *materiale*: in peccatum com-  
missionis, & omissionis, de quibus hâc Sectione.  
II. Penes *formale* seu reatum culpæ, in mortale  
& veniale, de quibus *cap. seq.* III. Penes subje-  
ctum peccati, in internum, & externum, seu pec-  
catum cordis, oris, & operis, de quibus *cap. 6.*  
IV. Penes *causam peccari*, in peccatum ex igno-  
rantia, infirmitate, & certa malitia, de quibus,  
& annexis, *cap. 7.* V. Penes objectum contra, vel  
circa quod peccatur, dividitur in peccatum con-  
tra DEum, contra proximum, & contra seipsum.  
Peccata contra DEum specialiter dicuntur, quæ  
opponuntur virtutibus Theologicis, Fidei, Spei,  
Charitatis, atque Religionis, de quibus in primo  
præcepto Decalogi. Peccata contra proximum di-  
cuntur, quæ Charitati & Iustitiæ repugnant; de  
quibus in præceptis secundæ Tabulæ. Peccata  
contra seipsum dicuntur, quæ Temperantiæ, &  
Fortitudini adverfantur, de quibus multa sparsim  
infra præsertim *c. 6. & 7.* VI. Peccata alia dicun-  
tur carnalia, alia spiritualia. Peccata spiritualia ap-  
pellantur, quæ consistunt in concupiscentia, seu in  
inordinata delectatione spirituali vel animali in-  
terna, ut superbia, avaritia &c. Carnalia dicuntur,  
quæ consistunt in concupiscentia & inordinata  
delectatione externa, ut gula, & luxuria. Indicat  
hanc



hanc divisionem Apostolus 2. Cor. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* docet S. Gregorius l. 31. *Moral. c. 31.* dicens septem vitiis capitalibus quinque esse spirituales inanem gloriam, invidiam, avaritiam, iram, cupiditatem: & duo carnalia; ingluviem, seu gulam, luxuriam, de his c. 7. *sect. 4. tota.* Sed hic pariter loco explicanda veniunt

*Peccatum Commissionis, & Omissionis.*

24 **P**eccatum commissionis est actus voluntarius malus, factus contra præceptum negativum, ut odium, homicidium, adulterium, furtum. Hi enim actus sunt contra præcepta negativa, *occides, non mæchaberis, non furtum facias.* Quorum præceptorum negativorum seu prohibitorum ea natura est, quòd obligent semper, & pro semper: quia scilicet nullo unquam temporis momento licet committere, quòd universaliter prohibetur. Peccatum omissionis est privatio actus debiti ex præcepto affirmativo, ut *non amare Deum vel proximum, quando oportet, non suscipere proximo extreme egenti, non restituere aliquid, negligere Sacrum, Horas, studia, aliudve opus ex lege, officio, obedientia debitum.* Omnia sunt contra præcepta affirmativa seu præcipientia, quorum ea natura est, quòd obligent semper, non pro semper, sed solum pro determinato tempore per legem vel rectam rationem. Unde peccatum commissionis posse fieri omni tempore, non item peccatum omissionis. V. g. semper



in die potest quis blasphemare, maledicere &c. at die festo, non potest nisi semel Sacrum omittere. De peccato commissionis generatim nihil hinc dicendum speciale, præter dicta, & dicenda in sequentibus. Aliqua verò ad moralia spectantia explicanda sunt de peccato omissionis, quæ potest esse voluntaria, aut directè, cum quis directè & ex proposito vult omissionem, ut nolo hodie audire Sacrum, dicere Horas &c. aut indirectè, cum quis directè & ex proposito solum vult actum aliquem incompossibilem cum executione actus debiti, vel cum impletione præcepti.

ASSERTIO V.

**P**eccatum omissionis pura possibile physice: moraliter fit cum actu positivo, scilicet voluntate emittendi, vel alio actu, qui causa omissionis fore prævidetur: quos solos sua tantum malitia inficit, non item alios actus merè concomitantes. Ita Auctores citandi.

§. I.

**P**eccatum pura omissionis possibile physice. Hoc est. Simpliciter & physice potest dari pura ommissio voluntaria, libera & culpabilis absque omni actu positivo moraliter efficiente omissionem. Ita Scotus in 4. d. 49. q. 20. cum Suis & aliis apud Tanner. tom. 2. disp. 4. q. 4. dub. 1. Ratio solida est. Quia voluntas libera est, non tantum quoad specificationem, ut, proposito objecto, possit illud velle, vel nolle positive, sed etiam, & multò magis quoad exercitium, ut, proposito





ocunq; objecto, possit illud velle vel non velle  
 nino negativè se habendo: posito ergo dilectio-  
 ine: *hic & nunc Deum amandum, Sacrum audi-  
 iendum esse, &c.* poterit voluntas non tantum  
 velle aut nolle positivè, sed etiam suspendere  
 omnem actum, & merè negativè se habendo  
 velle: atqui hoc posito, erit ommissio pura, volun-  
 taria, ac libera, ideòque culpabilis: *Voluntaria* quia  
 dem, non utique positivè directè, vel indirectè  
 ut per se constat, sed interpretativè tamen, & ca-  
 tè, quia nimirum voluntariè non est nolita, non  
 possit & deberet: quidquid enim voluntas potest  
 & debet nolle vel cavere, & non cavet, interpre-  
 tativè & tacitè velle censetur, secundum omnia  
*Libera* verò, & culpabilis est, quia inest voluntas  
 pro instanti, quo potest, & debet ei non inesse  
 quia pro eodem instanti potest, & debet ei inesse  
 actus oppositus, *velle amare Deum, velle audire  
 Sacrum, &c.* Ergo datur ommissio pura volun-  
 taria & culpabilis, saltem interna, absque omni  
 actu positivo moraliter concurrente. Atqui eadem  
 est ratio de omissione externa Sacri v.g. *Non*  
 aliquis die Festo studio vacans, & interim auctori-  
 signo, recordatus obligationis de Missa audienda  
 potest absque omni actu positivo de Missa audi-  
 enda, vel non audienda, simpliciter pergere  
 in studiis Sacrum negligere, absque eo, quod  
 aliquo affectu positivo studiorum negligat. Quod  
 casu iterum erit ommissio pura, voluntaria, libera  
 culpabilis, eadem ratione, quâ supra: ergo datur  
 peccatum puræ omissionis etiam externum absque



omni actu positivo moraliter afficiente ipsam omissionem, qui scilicet aliquo modo sit causa omissionis, seu ex cuius affectu fieret ipsa ommissio. Caterum evidens est, omissionem, præsertim externam, semper conjunctam esse cum alia actione, si actio latè sumatur, etiam pro somno, quiete, &c. Dum enim quis omittit Sacrum, interim necessario aliquid cogitat, dicit, facit, ambulat, sedet, jacet: &c. non tamen necessario aliquid facit, propter quod velit ommittere Sacrum.

§. II.

**M**oraliter fit cum actu positivo, scilicet voluntate omittendi, vel alio actu, qui causa omissionis fore prævidetur. Ita enim ordinariè fieri satis experientia probat: idque solum probant Authores adversarii, & vult *S. Thomas* 1. 2. q. 71. art. 5. *Quæstio* hic solum est, quando fiat peccatum omissionis? Contrariæ sunt sententiæ Doctorum. *Alensis, Richardus, alii cum Vasquez disp.* 49. c. 2. absolute volunt, fieri eo tempore, quo ponitur causa omissionis, & non quando fit ommissio, quia tunc non est amplius in potestate agentis. *Contrà D. Thomas* 2. 2. q. 79. art. 3. ad 3. *Sanchez* l. 4. *Moral.* c. 17. n. 9. & alii absolute volunt, fieri eo tempore, quo præceptum est implendum, quoniam pro illo tempore duntaxat obligat præceptum. Utraque sententia in suo sensu vera est. Nam certum est apud omnes, peccatum omissionis formaliter inchoari eo tempore, quo ponitur voluntas omittendi, vel actus, qui causa omissionis fore prævidetur, & saltem



materialiter compleri, vel consummari eo tempore, quo fit ommissio actus præcepti. Ratio patet. Quia peccatum omissionis formaliter completè consistit in voluntaria & actuali privatione actus debiti pro tempore, quo obligat præceptum. V. g. audiendi Sacrum manè: atque ommissio illa incipit esse voluntaria eo puncto temporis, quo ponitur voluntas omittendi, vel consummatur ommissio: actualis autem ommissio quando transit tempus ponendi actum præceptum, puta hora Missæ: ergo peccatum omissionis formaliter incipit, quando ponitur voluntas vel causa omissionis, & completur saltem materialiter, quando fit ipsa ommissio: idque manet in ordine ad Judicium Sacramentale: semper enim necessarium est, & sufficit confiteri ipsam omissionem voluntariam: item in ordine ad poenas & censuras Ecclesiasticas fortè propter omissionem impositas, quæ non incurruntur, nisi tempore ratione omissionis completæ. II. Certum est apud omnes, peccatum omissionis formaliter consistere, & consummari eo tempore, quo fit ommissio actus præcepti, quando eousque manet in potestate hominis implere præceptum, & mala voluntate directa, vel indirecta omitti: revocata non potest. Quia tunc ipsa actualis ommissio est adhuc potestativa voluntaria, aut directè in voluntate omittendi, vel indirectè in causa voluntarè posita & non ablatà cum adhuc posset auferri. Et sic verissima est secunda *Sententia*. III. Certum quoque esse debet, peccatum omissionis formaliter non potest



ampliùs durare vel compleri tempore, quo fit omissio, quando non est ampliùs in potestate hominis implere præceptum, & ante tempus implendi præceptum voluntas mala jam revocata fuit: ut si jam sis in itinere dolens, sed non potens ampliùs audire Sacrum: tunc enim omissio secuta non potest ampliùs esse peccatum, cum nullo modo sit ampliùs voluntaria, nec directè in se, nec indirectè in causa posita, quam velles, sed non potes ampliùs auferre: de quo etiam *supra c. 2. de voluntario indirecto* mentio facta. Et sic verissima est sententia prima. IV. Ut verò, quando quis voluntariè posuit causam omissionis, quâ se reddidit impotentem implere præceptum: ut si die Festo confèras te iter, potationes, somnum, prævidens te necessariò omissurum Sacrum, & postea ampliùs non potes audire, nec voluntatem malam revocans, omittis, siquidem tunc adhuc revocare possis, adhuc tunc formaliter completur peccatum omissionis. Quia tunc illa omissio licet non sit ampliùs actù voluntaria in se, vel in sua causa, est tamen adhuc voluntaria virtualiter in sua causa voluntariè posita, seu ante habitam malam voluntate agendi aliquid impossibile currere auditione Sacri nondum pœnitendo revocata, cum tamen adhuc revocare posses, ut supponitur: quòd si verò tunc ampliùs revocare non possis, ut si jam dormiens vel plenè ebrius omittas, sanè actualis omissio non poterit esse ampliùs peccatum, quia nullo modo ampliùs voluntaria.



Et sic rursus utraq̃ue sententia diversâ ratione  
vera est.

## S. III.

27 **Q**uos solos, & suâ tantum malitiâ infecti. Hæc  
est. Ipsa voluntas seu propositum omittendi, & omnis actus, qui est causa peccaminosa  
omissionis, peccatum est, juxta rationem omissionis, nulle tamen modo distinctum ab ipsa  
peccato omissionis. *Communis cum S. Thomæ*  
*I. 2. q. 71. art. 5.* Ratio est. Quia omnis voluntaria  
causa peccati peccatum est, juxta rationem peccati causati; sed & ipsa voluntas omittendi  
aliquid debitum, v. g. Sacrum, Horas, &c. & omnis actus voluntarius causans omissionem  
debiti, seu cujus affectu operans omittit actum  
debitum, est causa voluntaria illius peccaminosa  
omissionis, ut ex terminis patet. Ergo & voluntas  
omittendi, & actus causans omissionem (est  
quin indifferens, vel etiam ex objecto bonus  
ut si omittas Sacrum, ut interim studeas, &c.  
invisas, aliudve opus pium non magis debet  
præstes) semper est peccatum pro ratione omissionis,  
nullo tamen modo, specie, vel numero  
distinctum ab ipsa omissione peccaminosa:  
nimirum secundum se nullam, ut supponitur  
bet malitiam peccati, sed præcisè relative ad omissionem;  
quatenus scilicet est causa vel medium  
omissionis peccaminosæ, ideoque omnino  
specie & numero peccatum constituit cum  
peccato omissionis. Unde licet illi actus materialiter  
positivi sint, & commissiones, formaliter tamen



ut peccata, quia præcisè habent malitiam omissionis, simpliciter peccatum omissionis dici debent; & in confessione sufficit dicere omissionem: v, g. *omisi Sacrum* &c. tacendo actus, qui causa fuerunt omissionis, & aliunde peccata non sunt.

## §. IV.

**N**on item alios omissionem merè concomitantem. Hoc est. Actus, qui nullo modo causa sunt omissionis, sed merè per accidens omissionem comitantur; ut si die Festo ob suspectam tempestatem, vel aliam causam jam decrevisse ommittere Sacrum, postea verò tempore Sacri audiendi, ut tempusteras, velis ambulare, ludere, studere, agrum invisere, &c. nullo modo peccata sunt: sed manent actus indifferentes, vel etiam boni, quales sunt ex objecto. *Medina, Angelus, Azorius, alii cum Layman. l. 1. Tr. 3. c. 4. n. 3.* Ratio est. Quia tales actus merè concomitantes omissiones, nullam omninò habent malitiam: neque ex se ipsis, ut supponitur: neque ratione omissionis, quia ad illam nullo modo concurrunt, vel referuntur; neque etiam ex circumstantia talis temporis Sacri indebiti, quo nimirum est obligatio audiendi Missam, vel alterius Præcepti: nam seclusà omissione Sacri, ad quam talis actus omninò est impertinens, solum tempus minimè redderet actum malum: ergo, &c. Idèmpo dicendum, cum actui, qui est causa omissionis, per accidens alius actus jungitur. Ut si volens ommittere Sacrum exspatiandi gratiâ, cal



offendas ludentes, potantes, piscantes, venantes  
 iisque te præter priorem intentionem conjugat  
 lus ille, potatio, piscatio, venatio non sunt  
 malâ ratione omissionis: quia seclusis illis, tam  
 vi prioris intentionis nihilominus foris manent  
 & Sacrum ommitteres.

29 DICES cum adversariis *Valentia, Vasquez, &*  
*aliis.* Hoc ipso, quo tali tempore audire Sacrum  
 teneor, etiam teneor illo tempore abstinere ab o  
 mni alio opere impossibile cum auditione Sa  
 cri: ergo hoc ipso, quo tempore Sacri exerceo  
 opus impossibile, pecco. Respondetur, quod  
 distinguendo antecedens. Teneor tunc abstinere  
 per se directè; nego antecedens. Per accidens  
 & indirectè, quatenus teneor audire Sacrum: con  
 cedo antecedens, & nego consequentiam. Quod  
 non pecco vel transgredior legem audiendi Sa  
 crum per illum actum contrarium impossibi  
 lem, nisi quia & quatenus est mihi aliquo modo  
 causa voluntaria transgressionis, seu omissionis  
 præcepti, quod non contingit in proposito.

30 Excipiendum semper. I. Nisi actus causans  
 concomitans omissionem ipse ex objecto, vel ex  
 circumstantia malus esset. Ut si velis omitt  
 Sacrum, ut interim potites, forniceris, occidas.  
 Tunc enim apud omnes constat esse duplex pecc  
 atum. II. Si quis actu causante, vel comitante  
 omissionem se etiam impotentem redderet malum  
 tempore ad implendum præceptum. Ut si nolens  
 dicere Horas in diuturna navigatione Breviarium  
 in aquas projicias: aut nolens servare emissum ve  
 rum



tum simplex Castitatis vel Religionis ingredien-  
 da; Matrimonium contrahas &c. Talis actus  
 est distinctum peccatum ab omissione, & ut di-  
 stinctum in Confessione fatendum. Quia enim fa-  
 cile contingere potest, ut homo pœnitentiã ductus  
 malam voluntatem omittendi opus debitum re-  
 vocet, & implere velit, nova, & distincta malitia  
 est ultra voluntatem omittendi, etiam se pro tau-  
 to tempore vel impotentem reddere ad imple-  
 dum opus debitum, etiam cum maximè volet, ut  
 cum aliis notat *Layman. cit. n. 4. III.* Si quis tem-  
 pore Sacri volens ludere, potare, venari, &c.  
 tam inordinatum affectum erga ejusmodi actus  
 gereret, ut ideò paratus sit legem Dei transgredi,  
 ejusque gratiã, & amicitia privari, distinctum &  
 gravissimum peccatum committeret contra Cha-  
 ritatem Dei: quia in eo actu ultimum finem con-  
 stitueret secundum omnes. Sed de hoc audies  
 cap. seq.



CAPUT V.

DE

PECCATO.

Mortali, & Veniali.

SUMMARIUM.

1. Peccata non sunt equalia.
2. Nec omnia mortalia.
3. Sed aliqua venialia tantum.
4. Etiam ex natura sua, non solum ex miseratione divina.

A a 5

ASSER-